ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H' T

PRODECANVS ANDREAS FLORENS RIVINVS D

POTENTISSIMI REGIS POLON· ET PRINC
SAXON· CONSILIARIVS AVLAE, DIGEST
INFORT· ET NOVI PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S· D· P

Q. D. B. V.

Non deſunt viri docti, qui, inter alios iuris ciuilis ſignificatus, id ipſum etiam interdum pro theoria iuris accipi et praxi opponi ſtatuunt, idque facillimo demonſtrari poſſe negotio ex *l. 2. §. 46. D. de O. I.* autumant, vbi POMPONIVS de TVBERONE refert: tranſiiſſe eum a cauſſis agendis ad Ius Ciuile, maxime poſtquam QVINTVM LIGARIVM accuſauit, nec obtinuit apud CAIVM CAESAREM. Verum enim vero, quamuis TVBERO quidem noſter, vti de CICERONE, et COELIO ANTIPATRO conſtat [a]) primum plus eloquentiae, quam iuri operam dederit; nec tamen credendum eſt, eum theoriae iuris plane fuiſſe expertem, potius cum OFILIO, qui teſte CICE-

a) i. *l. 2. §. 40. D. de O. I.*

RONE, [b] viuente adhuc SERVIO praeceptore, maximam habuit in respondendo auctoritatem, operam dederit, verisimile est, eum, postquam LIGARIVM accusauit, nec obtinuit, a caussis orandis plane abstinuisse, et non amplius causidici munere functum fuisse, sed ad optime constituti iuris ciuilis interpretationem, quae summo semper in honore fuit, [c]) ac ideo a PAVLLO [d]) commentitium, seu commendatitium ius [e]) et a neotericis iurisprudentia cabbalistica [f]) vocatur, se contulisse ac postea varia scripta in iure publico pariter ac priuato edidisse, consilio iuuasse atque hoc scientiae genere quam plurimis profuisse. Satis enim intelligebat ex oratione disertissimi CICERONIS, quid valeat iurisprudentia in oratore, et eloquentia in defensore. Cum enim praecipua pronuntiationis adminicula sint vox, caput, vultus, oculi et reliquae corporis partes, gestus denique atque motus; haec adminicula singula deprehendebat in CICERONE. Nam facundissima

omnium

b) *L. VII. ad famil. epist.* 21
c) *vid.* CICERO *Lib. II. c.* 19. *de offic.*
d) *l.* 20. *D. de poen.*
e) *iung. elegantem obseru.* CORN. VAN BYNKERSH. *Lib. V. c.* 16. *vbi varias explicationes l.* 20 *D. de poen. suppeditauit.*
f) GALVAN. *de vsufr. cap. VI. n.* 8. *p.* 50

omnium haec pro QVINTO LIGARIO fuit oratio. De hac PLVTARCHVS in vita CICERONIS, ait poſtea vero quam CICERO dicere orſus mirifice CAESAREM mouit, variisque affectibus et mira gratia eius progreſſa eſt oratio, colorem identidem Cæſaris faciem variaſſe, perſpicuumque fuiſſe omnibus eum animi motibus verſatum. Denique vbi pugnam Pharſalicam orator attigit, fuiſſe vsque adeo permotum, vt toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint. Praeterea TVBERONEM teſte IAVOLENO *in l. 77. D. de contrah. Emt.* de iure reſpondiſſe, et conſultoribus vacaſſe, nullum eſt dubium, dum proprie conſulere de peritis iuris dicatur, conſulentibus enim reſpondebant ICti ſecundum POMPONIVM *in l. 2. §. 47. D. de O. I.* **verb.** *et vt obiter &c.* et nota eſt conſueta formula: *licetne conſulere.* Vnde CICERO [g]) ſcite ita luſit: conſuli quidem te a Caeſare ſcribis, ſed ego tibi ab illo conſuli mallem. Conſilia autem dabant vel viua

g) *L. VII. ad fam. epiſt.* **11.**

voce [h]) tempore matutino ſub galli cantum, vt ex HORAT. *Serm. l. v. 9. et 10.* conſtat:

Agricolam laudat iuris legumque peritus
Sub galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat,

vel in ſcriptis, quae libera republica ſaepius ab oratoribus euertebantur [i]) vsquedum AVGVSTVS iudices, ne ab eorum reſponſis, quae ſubſcribebant et ſubſignabant, [k]) recederent, adſtrinxit. Denique vox conſulti augmentum gradus admittit, ita enim conſultiſſimus vir dicitur PAPINIANVS *in l. 3. C. de acquir. et retinend. poſſeſſ.* et LIVIVS *Lib. I. cap. XVIII.* de Numa: conſultiſſimus vir, vt in illa quisquam aetate eſſe poterat, omnis diuini atque humani iuris. Et haec appellatio hodie ita propria eſt iurisperitis, vt quemadmodum medici, experientiſſimi, ita illi, qui Licentiati, vel Doctoris iuris titulo ornati, conſultiſſimi vocentur. Eosdem honores, eundem-

h) *vid. l. 27. D. de donat. vbi verba: dixi poſſe defendi, quare etiam plerumque eos cum teſtibus adibant*, MENAG. *Amoen. cap. XX. p. 123.*

i) CICERO pro *Murena c. 13,* et *pro Caecina c. 24*

k) *l. 2. §. 47. de O. I.* SENECA *Lib. VIII. de benef. c. 16.*

demque consultissimi titulum expectat candidatus politissimus, paternarum virtutum aemulus, qui non demum ad ius ciuile se conuertit, sed potius postquam ex suffragio Illustris Ordinis, studiis suis iuridicis eum maturitatis gustum atque colorem dedit, quem rerum publice gerendarum vsus poscit, in forum transire atque caussas orare constituit; audiamus eius vitae curriculum, quod ipse in chartam coniecit:

Nascendi auspicia habui Vitembergae d. XXII. Nov. anni huius saeculi post vicesimum secundi, sacris religionis CHRISTIANAE *initiatus nomen* IOANNIS GOTTLIEB *sortitus sum. Patre vtor* CHRISTIANO GOTTLIEB REINHARDO *I. V. D. Ordinis Iuridici Assessore, ciuitatis patriae Consule, Curiae Prouincialis adhuc Aduocato Ordinario, nunc Potentissimi Regis Pol. et Pr. Elect. Saxon. in Summo prouocationum Senatu Consiliario designato, matre vero* CHRISTINA ELISABETH *e gente* GIESIA *oriunda. Deficiunt verba horum parentum curam, amorem, fidem et indulgentiam ex voto, prout decet, celebrandi, ita, vt cum A. Persio Flacco in Satyra V. exclamare cogar:*

Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Vt quantum mihi Vos sinuoso in pectore fixi,

Voce

Voce traham pura, totumque haec verba resignem,
Quod latet arcana non enarrabile fibra

Certe vtrique Parenti optimo, vt officio suo non deesset, inprimis liberalis atque honesta educatio curae cordique fuit, et cum probe intelligeret, ad futuram felicitatem cognitione rerum diuinarum et cultura morum optime viam muniri, prima ipsi lex fuit, vt in scientiae vitaeque sanctioris praeceptis rite adolescerem. Hoc fine nulli pepercit sumtui, meque institutioni domesticae M. Boehmii, *et postea M.* Rhostii, *SS. Theologiae tunc temporis cultorum, qui ambo doctrina, fide atqueintegritate probati, ministerio diuino iam consecrati sunt, tradidit. His fidelissimis magistris prima litterarum fundamenta posui, atque ex eorundem disciplina tantos fructus percepi, vt, quamuis duodecimum aetatis annum nondum expleuissem, nihil retardare potuerit, Grimam proficisci, et concessum ab inclito Senatu Vitembergensi, cuius beneuolentia deinde, nulla invidiae clamitantis habita ratione, variis me stipendiis ornauit, locum, vt vocant, gratuitum,* Frey Stelle, *in illustri Gymnasio prouinciali occupare. Non sine improbitatis suspicione praeceptorum ibidem, quorum disciplinae alumnus fui,* Ermelii, Schvmacheri, Parski, Vlischii, Opitii *et* Hayetii *nomina praeterirem. Viri isti docti*

nihil

nihil propemodum reliqui fecerunt, quod ad formandum ingenium conferre potuit. Siquid in litteris, quae ad humanitatem spectant, in linguis, Latina pariter ac Graeca, Grammatica, Rhetorica, Theologia, quam appellant, thetica, Historia, Mathesi profeci, id omne eorum institutioni tribuo. In classibus ibi per integrum sexennium commoratus, atque honorifico, quod exhibuerunt praeceptores omnes, testimonio dimissus ad Academiam nostratem redii, vbi iam puer olim a celeberrimo b. SPENERO, cum academiae gubernacula teneret, albo studiosae iuuentutis insertus eram. Huc reuersus cum non essem nescius, quantum disciplinae Philosophicae momentum faciant, vt facilior aditus pateret ad altiores, vires animi sapientiae regulis praeparandas esse duxi. Quo consilio ad CRELLII nostri assidue constitutus pedes iuris naturae et gentium praecepta ex eiusdem ore hausi, ad addicendam Logicam vero pariter ac Metaphysicam, a scholasticorum tricis nugisque repurgatam, M. HANIZSCHII praelectiones ad BAVMEISTERI compendia sedulo frequentaui. Cum in hoc studiorum genere et elegantioribus litteris annum et vltra confecissem, omnem iurisprudentiae operam accommodare cepi. Duces secutus Illustrem ac Generosissimum DN. A LEYSER, celeberrimum Facultatis Iuridicae Or-

dinarium, Academiae nostratis decus maximum, Viros Illustres atque Excellentissimos, Bastinellervm, Rivinvm *ac* Brokesivm, *cui iam Ienae publice docendi munus est concessum, totam paene et legum et canonum peritiam mihi comparaui. Inprimis mihi non sine gratissima mente nominandus est Illustris* Crellivs *noster, cui profecto, si qui sunt in diuina arte nostra profectus, omnes debeo. Ille mihi verus fidusque Aristo fuit, et vt summum pietatis meae sensum absque adulationis crimine declarem, verbis vtar C. Plinii Caecilii secundi: perturbat me, inquit, longa et pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter et miror et diligo. Nihil est enim illo grauius, sanctius, doctius: vt mihi non vnus homo, sed litterae ipsae omnesque bonae artes in vno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille et priuati iuris et publici! quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. Iam quanta sermonibus eius fides, quanta auctoritas. Quid est, quod non statim sciat? diuersitate rationum, quas acri magnoque iudicio ab origine causisque primis, repetit, discernit, expendit. Commemoro praeterea Viros Illustres atque Excellentissimos* de Berger *et* Rittervm,

qui

qui praelectionibus suis historiam vniuersalem, anti quitates Romanas, notitiam rerum publicarum et ius publicum mihi tradiderunt. Nec mathesin, cuius deliciis praeeunte HAVPTIO *Grimae captus eram, neglexi, huiusque caussa Excellentissimi* WEIDLERI *ac* BOSII *recitationibus sedulo interfui. Amaui vehementer etiam linguas recentiores, ideoque Gallicae atque Italicae horis maxime subcisiuis operam nauaui, et vt corporis valetudini et culturae consulerem, exercitiis politioribus aliquantum temporis dedi. Ad perficiendum filium vltimam tandem manum Parens optimus ipse adhibuit, et me in iure formulario, quo in foris vtimur, erudiuit. Cuius ex colloquiis, exercitationibus et quotidiana consuetudine quantum profecerim, illi facillime credent, quibus nascendi conditio contigit, vt ipsis pater sit Aeneas. Confecto igitur in litterarum stadio feliciter cursu, cum iam in eo sim, vt extra natale solum experiar, quid fortuna ferat, ab Illustri ICtorum Ordine exceptus benevole, atque ad examina pro notariatu, candidatura nec non ad rigorosum, quod aiunt, admissus veniam impetraui, primitias profectuum* de Lege commissoria tacita in subhastationibus *publice defendendi. Cui consilio, ceterisque conatibus ad communem reipublicae vtilitatem spectantibus, Numen diuinum gratia sua, qua me adhuc complexum est, adspirare velit clementissime.*

Quod

Quam bene, recte atque ordine tempus hucusque collocauerit Candidatus noster ex hisce fatis, opinor, constat; quare, examinibus, maxima cum laude, superatis, nihil superest, quo votorum fiat compos, quam vt die XXVIII. Nou. Praeside Illustr. atque Excellent. CHRISTOPHORO LVDOVICO CRELLIO, Collega nostro honoratissimo, si huius valetudo permittat, disputationem inauguralem pro licentia, de lege Commissoria tacita in subhastationibus, tueatur. Cui actui, vt Magnificus Academiae RECTOR, Antecessores omnium Facultatum Celeberrimi et quot quot, aut ICtorum ordini, aut PARENTI CANDIDATI, aut mihi, aut ei bene cupiunt, frequenter intersint, demisse atque officiose rogo. Dabam Vitembergae d. XX. Nou.

A. cIↃ IↃCC XLVI.

VITEMBERGAE

LITERIS SCHEFFLERIANIS.